

Hæc duplicem habent sensum, literalem, & allegoricum. Secundum literalem sensum commemorantur tria beneficia Dei erga naturam humanam, primo quod homo sit conditus à Deo tam nobilis naturæ, ut non sit inferior Angelis, nisi modicum: deinde, quod sit ornatus gloria, & honore præ omnibus aliis inferioribus creaturis; quia sit factus ad imaginem, & similitudinem Dei, ratione & libero arbitrio præditus. Denique quod acceperit potestatem, & dominium in omnia opera Dei, ac præsertim in animalia, ideo subiungit.

VIII. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas, insuper & pecora campi.

Volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.

Per oues, & boues intelliguntur omnia animantia domestica: per pecora campi, animantia syluestria, quæ liberè vagantur per campos; per aues cœli, & pisces maris, non est dubium quid intelligatur. Illud est notandum, in Hebræo, post pisces maris, addi in singulari, perambulans semitas maris, & in Græco etiam mutari saltem genus: nam post pisces maris habetur in neutro, perambulantia semitas maris. Sensus igitur est, non solum pisces propriè dictos, sed omne perambulans, siue omnia perambulantia semitas maris, id est, quicquid mouetur in mari, siue sint pisces, siue monstra, siue quid aliud. Iam verò secundum allegoricum sensum, sed certum, & à Deo intentum, Apostolo teste. Hebr. 2. & 1. Cor. 15. significatur, hominem in Christo post illam insignem Dei visitationem, id est, Verbi incarnationem, minoratum aliquantulum ab Angelis propter passionem; tunc enim Christus visus est aliquo modo minor Angelis, cum ei apparuerit Angelus de cœlo confortans eum; & cum Angeli sint impassibiles, & immortales; Christus autem eo tempore passus, & mortuus sit. Absolutè autem semper fuit Christus

Angelis superior, & omni ex parte superior. Quod apparuit, quando gloria, & honore coronatus est, id est, per resurrectionem circumdatus vndique glorioso, & immortalis corpore: & constitutus per admirabilem Ascensionem super omnia opera Dei, exaltatus videlicet ad ipsam Patris sui dexteram. Omnia quoque subiecta sunt ei, nulla re excepta, Præter illum, ut Apostolus ait 1. Cor. 15. qui subiecit ei omnia. Res autem illi præcipuè subiectæ sunt, primo, homines, tam fideles, significati per oues, & boues; Subditos, & Prælatos; minores, & maiores; quàm infideles, significati per animantia syluestria. Deinde Angeli hominibus superiores significati per aues cœli, quæ in sublime feruntur, & canunt assiduè laudes Dei. Denique Demones hominibus inferiores significati per pisces maris, qui in imis & profundissimis locis habitant, & muti sunt ad laudes Dei, & luto, ac humoribus delectantur. Hæc omnia allegoricè variis modis exponi posse docet S. Augustinus in hunc locum; vbi aliam ponit expositionem, quæ apud eum legi poterit. Vnum hoc loco addendum est, quod superius commemorandum fuisset; cum Psalmista dicit, Minuisti eum paulominus ab Angelis, non esse in Hebræo nomen Angelorum, quos Hebræi vocant, Malachim, sed Elohim, quod interpretari solet Deus, vel Dii; sed quia nomen Dei in Scripturis sæpe tribuitur Angelis, & ipsis etiam hominibus, qui aliis præsumt; rectè Septuaginta Interpretes respicientes sensum Prophetæ, posuerunt, ab Angelis; & eam interpretationem approbavit Apostol. Hebr. 2.

Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? IX.

Repetit primam sententiam, ut ostendat illam esse quasi conclusionem, quam in toto Psalmo declarare & approbare intendebat, quasi dicat, Iure igitur, ac merito exclamaui Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra?

E

P S A L-

מלאכים
אלהים